R.24.996

~~Foll. …~~ ~~460-54~~ ~~4-…-2~~

Foll. Cap. 54-18



R. P. D.

ANSALDO

Compoſtellana Vicariæ S. Petri de Porta, ſeù de Eccleſia noua.

Veneris 28. Iunij 1715.

AD Vicariam S. Petri de Porta, ſeù de Eccleſia noua vacatam per mortem Andreæ in menſe Ianuario 1714. Abbas, & Monaci Regij Monaſterij S. Mariæ Soberado, ad quos pro hac vice ſpectabat ius nominandi, deputarunt, & nominarunt Matthiam, cui coram Ordinario Compoſtellano inſtitutionem, ſeù approbationem expoſtulanti ſe oppoſuit Promotor Fiſcalis prætendens talem Vicariam providendam per

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO

per concurſum,iſtoque ſubindè conuocato ratione vacationis in menſe reſeruato S. Sedi, præelegit Stephanum.

Appellarunt ab huiuſce concurſus conuocatione tàm Matthias, quàm Monaſterium, obtentaque commiſſione appellationis mihi directa, obtinuerunt deindè inhibitionem Rotalem, quæ etſi legitimè præſentata fuerit memorato Stephano, adhuc ille nullatenùs attenta inhibitione Rotali vigore literarum ſuæ prouiſionis poſſeſſionem adeptus fuit controuerſæ Vicariæ, proptereaque diſceptandum hodie propoſui dubium = *An conſtet de attentatis, itaut ſit circumſcribenda poſſeſſio*, quod in omnibus DD. reſoluerunt *Affirmatiuè*.

Incontrouertibilia namque viſa ſunt attentata, dùm cauſa appellationis à concurſu, & præelectione Stephani commiſſa fuit noſtro Auditorio, antequam & expedirentur, ac in partibus præſentarentur Executori literæ eiuſdem Stephani, qui propterea nullatenùs poterat, poſthabita inhibitione Rotali, abſque patenti incurſu attentatorum, ac innegabili Tribunalis contemptu intrudi in poſſeſſionem prædictæ Vicariæ ad tradita per *Poſth. reſol.* 4. *num.* 11. *Rot. deciſ.* 406. *num.* 1. *coram Buratt. & coram Priolo deciſ.* 306. *num.* 3. & 4. *& ſeqq.*, *& in Bononien. Bonorum ſuper attentatis* 12. *Maij* 1710. §. *Conſtat enim coram Reuerendiſſimo Molines Decano*.

Abſque eo quod refragari valeat commiſſio obtenta per Matthiam habens in ventre clauſulam *non tamen* vigore literarum Apoſtolicarum, quæ æquipollet clauſulæ *ſine præiudicio literarum Apoſtolicarum*, quoniam virtus præſeruatiua talis clauſulæ ſuum operari non poteſt effectum in iſta Hypotheſi, in qua commiſſio appellationis ad Sac. Rotam præceſſit non ſolum præſentationem, ſed etiam expeditionem literarum Stephani, & ſic prorſus inefficax remanſit, & non apta ad præſeruandam earundem executionem, cum trahi minimè poſſit ad lites futuras, & adhuc in rerum natura non exiſtentes, vt diſtinguendo tradit *Lotter. de re benefic. cap.* 3. *quæſt.* 11. *num.* 37. *clar. me. Card. de Luc. de benefic. diſc.* 52. *num.* 13. Et regulare eſt, quod Prouiſus Apoſtolicus pendente lite poſſeſſionem apprehendens ſemper attentare dicitur, quia literæ Apoſtolicæ tribuunt quidem prouiſionem Apoſtolicam in illa ſuppoſitione facti enarrati Papæ, nullo autem modo ex mente eiuſdem Papæ tollunt litem de medio, & præcedenter exiſtentem, ideoque

que ſub prætextu illarum nemo poteſt collitigantem eludere, & Iudicem inhibentem ſpernere ex animaduerſis per *Rot. dec.152. num.6. par.11. rec.*, *& in Dertuſen. Beneficij ſuper attentatis* 28. *Iunij* 1697. §.*finali coram Emo Priolo* cum alijs lato calamo adductis *in Brixien. Beneficij* 26. *Aprilis* 1709. *coram Rmo Kaunitz*.

Atque ex his demonſtrato vitio attentatorum quo laborabat poſſeſsio Stephani in conſequentiam reſultabat, illam reuocandam eſſe, & circumſcribendam, ne poſſeſſor attentans, & lædens Iudicis Maieſtatem fruatur fructibus beneficij nullitèr, & attentatè poſſeſsi ad notata per *Lancellott. de attentat. limit.*29. *num.*3. *Poſth. de manut. reſolut.* 7. *nu.*2. cum alijs *in Anglonen. Attentatorum* 5. *Decembris* 1696. §. *E' contra coram bo. me. Pio*.

Et ita per Contradictas &c.

ROMÆ, MDCCXV.
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Superiorum permiſſu.